

PA. ego hanc visam.—*DA.* quid tu? quō hinc te agis? 25

CH. verum vis dicam? *DA.* immo etiam:

narrationis incipit mi initium. *CH.* quid me fiet?

710 *DA.* eho tu inpudens, non satis habes quod tibi dieculam
addo,

quantum huic promoveo nuptias? *CH.* Dave, at tamen..

DA. quid ergo?

CH. ut ducam. *DA.* ridiculum. *CH.* huc face ad me
[ut] venias, siquid poteris.

DA. quid veniam? nil habeo. *CH.* at tamen, siquid. 30

DA. age veniam. *CH.* siquid,

domi ero.—*DA.* tu, Mysis, dum exeo, parumper me op-
perire hic.

715 *MY.* quapropter? *DA.* ita factost opus. *MY.* matura.

DA. iam inquam hic adero.

MYSIS DAVOS

iii

MY. Nilne esse proprium quoiquam! di vostram fidem!
summum bonum esse erae putabam hunc Pamphilum,
amicum, amatorem, virum in quovis loco

paratum; verum ex eō nunc misera quem capit

720 laborem! facile hic plus malist quam illic boni.

sed Davos exit. mī homo, quid istuc obsecrost?

quo portas puerum? *DA.* Mysis, nunc opus est tua
mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia.

5